



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Virtutis comes prudentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Silius :

----- Explorant adversa viros.

Et Seneca Tragœdus :

Virtutis est domare, quæ cuncti pavent

Nam Philosopho Romano teste : Non quia difficilia sunt, multa non audemus : sed quia non audemus, difficilia sunt.

II. (b) Sed tamen sine Medæ consilio, nihil præstitit Æsonides noster. Horatius canit, *Mole ruit sua, vis consilii expers*. Hoc per Medeam significatur; est enim *μῆδος cura, consilium*, à *μῆ-δομαι* curam gero; delibero, meditor, provideo, prospicio. Sine consilio & ratione prudenti impetus omnis, etiam in honestissimis caloribus, in ventos effunditur. Temeritas, inquit Curtius lib. 4. ubi primum effudit impetum, veluti quædam animalia, amisso aculeo, torpet. Et licet initio felicitas aspirare videatur, ad ultimum tamen temeritati non sufficit. *Medea* ergo jungenda *Iasoni*, & *Diomedis* sociandus *Ulysses*. Nulla sine sapientia fortitudo; vacillant vires, nisi consilio fulciantur. Etiam bestię ruunt in pugnas, sed cæcas. S. August. epist. ad Hieron. Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultò timet.

III. (c) Calcar ad virtutem erant Iasoni præmia, juxta Poëtam :

----- Quis enim virtutem amplectitur ipsam.

Præmia si tollas ?

Et alius ?

----- Laudatâque virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet,

Delectet, inquit D. Gregorius hom. 17. in Evang. mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Iasone Duce, Virtute Comite, Gloria Auspice, fortissimi quique Græciæ juvenes, Argivæ robora pubis, & heroum genus, ut Catullus loquitur, incitati sunt ad fortitudinis eximium Decus longinquis è terris per mille pericula quærendum. Tanti est, incitamentum laboris ab exemplo & præmiis sumere. Iasonem imitatus est Philippus cognomento *Bonus*, Burgundiæ Rex, & Dux Brabantia, qui anno Christi 1429. (d) Ordinem ac Societatem Equestrem instituit, è viris nobilitate & opibus, clarissimis, quam *Aurei Velleris* appellavit. Illius insigne: Torques aureus, cum ignitabuli figura, scintillas de filice excutientis, dependente imagine sive Arietis Phrixæi, sive Agni Gedeonici, cum inscriptione: *Præmium non vile laborum*. Munus enim & partes horum sunt magnatum, Catholicam fidem armis tueri ac propagare, Christianæ

(b) Virtutis comes Prudentia (c) Calcar virtutis sunt præmia. (d) aurei velleris ordo.